

sacerdos angelus, id est, nuntius seu legatus Dei ad homines, ut ejus voluntatem hominibus annuntiet, nihil addat, aut demat. Et idcirco constituit Dei et sacerdotis, quasi arcam seu apothecam quamdam salutarem, unde quisque depromat sibi necessaria. Quare auctor imperfecti apud S. Chrysostomum, hom. XXXVIII. in *Matth.* comparat sacerdotem stomacho. « Sicut enim stomachus, ait, accipiens cibum, coquit in seipso, et per totum corpus dispergit; sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturam a Deo, et excoquant eam in se, id est ratiocinantes et meditantés apud se universo populo subministrant. » S. Ambrosius, serm. XIII. comparat eos apibus. *Sicut apes*, inquit, *de divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt, et quicquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt.* Quare sicut reprehensione dignus est et suæ perditionis causa, qui medicum consulere negligit, vel consilia ejus contemnit, vel eo spreto anilia deliramenta sectatur; ita qui legem Dei ex ore sacerdotis non requirunt, sed e libris tantum vel aliis, qui ad docendum missi non sunt, haurire volunt. *An ignoras*, inquit S. Chrys. hom. II. in ep. ad Tim. *quid sit sacerdos? Angelus utique Domini est. Non ex seipso loquitur: si despicias, non illum despicias; sed Deum qui illum ordinavit.*

Secundo, velut mediator inter Deum et homines; et ita etiam sacerdos est legatus hominum ad Deum. Est enim modo aliquo mediator placans Deum sacrificio unigeniti ejus Filii, qui non potest non placere Patri. Est veluti murus inter iram Dei et hominum flagitia positus. Unde fit, ut sicut Christus inter celum et terram pendens, reconciliavit nobis Deum; ita in Ecclesia, toto populo in genua procumbente, solus sacerdos erectus stat ad altare coram Deo, velut pro toto populo unus decertans. Quoties enim ad altare sacrificat, reiterat illud sacrificium, quod Christus mediator noster obtulit pro nobis in cruce, ubi ipse et victima, et sacerdos fuit. Ergo sacerdos velut legatus Ecclesiæ, imo totius orbis, stat inter altare et populum, ut cum Deo summa negotia tractet: nimirum ut nomine totius creaturæ homagium Deo præstet, et doxologiam seu gratiarum actionem reddat pro omnibus beneficiis a qualibet creatura perceptis, ut oret et propitiet Deum pro peccatis totius mundi, ut peccatoribus perituris veniam et gratiam impetret, ut omnium afflictorum miserias, morbos, tentationes ei repræsentet, opemque postulet, ut singulis fidelibus Dei gratiam, virtutum augmentum omniaque bona impetret, ut pro defunctis supplicet, etc. Itaque velut Aaron cum thuribulo stans inter vivos et mortuos, placare contendit Deum, Num. XVI. et veluti Moyses

Deum tenet, ne evaginet gladium contra perditos, Exod. XXXII. Fatetur Honorius imp. in quadam epistola, imperium stare et ruere precibus sacerdotum, apud Baron. anno 407. Quo vero efficacius peroret hic legatus, et fortius Deum teneat, profert in altari munera, exponit calicem et patenam, proponit panem et vinum, mutatque in corpus Christi, quem totius populi nomine donat Deo Patri, velut munus irrefragabile; ut pro infinito isto munere finita alia recipiat. Quæ cum ita sint, videte imprimis, vos sacerdotes, vocationem vestram, ut hac, tanta potestate vobis tradita, debite utamini, et pro dignitate tanta digne conversemini. Vobis enim imprimis dictum a Deo existimate illud: *Filii hominum usquequo gravi corde (Hebr. usquequo inclyti mei) ut quid diligitis vanitatem?* Sane nobiles in aula principis constituti, nobilia tantum exercitia sectantur, et cum principe ut plurimum versantur, venantur, equitant, ludunt, confabulantur, ea quæ vulgus tractat, aversantur et contemnunt. Sacerdotes Christi aulici sunt, cum ipso agere, loqui, venari animas, recreari sacris studiis et contemplationibus, denique seria tantum tractare debent. Quale igitur iudicium sustinebunt, si, relicto Domino suo et ingenuis illis exercitiis, ad sordida et illiberalia studia, veluti ad aleas, computationes, venationes, equestres ludos aut equorum curam se demittant? Exemplum capite. Theophylactus Constantinopolitanus patriarcha adolescens adhuc electus, contra decorum et officium equas plurimas alebat, unam vero insigniorem sacro magno quinto die peperisse, sacra celebranti nuntiatum est. Lætitia elevatus divinoque sacrificio properanter absoluto, ad pullum recens natum festinavit, ac deinde in Ecclesiam reversus reliqua sanctæ passionis Servatoris peregit. Cujus rei pœnas dedit, cum postea ex equitatione, qua audacissime utebatur, terræ allisus, sanguinem per os rejecit, aqua deinde intercute accedente diem clausit, Zonaras, in Const. Leonis filio. Ita nimirum male iis cedit, qui cum Dei ministerio adscripti sunt, tractant ea quæ mundi sunt, Christoque principe suo deserto, ad sordida se effundunt.

Sed et vos, auditores, videte ut honorem debitum sacerdotibus impendatis. Ipsi enim sunt patres vestri, qui per baptismum et verbum Dei in Christo vos genuerunt; ipsi nutritii vestri, qui vos pascunt sacramentis; ipsi iudices vestri, qui condonant delicta vestra; ipsi vestri medici, qui abstergunt iniquitates vestras; ipsi janitores cœli; ipsi post Christum Dominum mediatores vestri. Videte, ut glorificetis Deum, qui talem potestatem dedit hominibus; cui sit honor et gloria.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Bonum persecutionis. — II. Bonum societatis. — III. Indicium resurrectionis nostræ spiritualis. — IV. Indicium veri Christiani. — V. Gaudium verum in Deo quærendum. — VI. Sacra cæremoniæ approbandæ et utilis. — VII. SS. traditionum approbatio et necessitas. — VIII. Virtutum exemplar in Christo.

THEMA.

Venit Jesus, et stetit in medio. Joann. XX.

Lignum vitæ, auditores, testatur sacer textus Gen. II. positum fuisse in medio paradisi; in medio, inquam, seu medietullo, quo ab omnibus paradisi incolis facile adiri et delibari posset. Lignum vitæ mystico sensu est Salvator noster, a morte suscitatus, quando jam immortalis factus omnibus etiam hominibus, a quibus per fidem fuerit gustatus, immortalitatem tribuit. Igitur hæc arbor in medio discipulorum sese ipsam statuit in hodierno evangelio, ut omnibus æque vicina in animos singulorum influere et insinuare sese posset, eos consolando, ad fidem erigendo, docendo, clavium potestate condecorando. Sed et vobis, auditores, hoc lignum in medio Ecclesiæ proponunt concionatores, quoties de eo ejusque evangelio verba ad vos faciunt hortanturque ut illius ligni fructum audiendo verbum divinum, sedulo degustetis. Ut enim sine arbore vitæ subinde degustata non potuissent homines conservare vitam in paradiso; ita sine Dei verbo subinde percepto non poterunt multo tempore conservare in se gratiam, quæ est vita animæ. Propterea igitur majores nostri templa parochialia et primaria, in quibus concio fieret, communiter extruere in medio civitatis oppidi, vel pagi consueverunt, ut pari facilitate ab omnibus adiri ad restaurandas animæ vires possent. Ergo nunc ad arborem istam nos conferamus, indeque decerpanus, quos offert nobis fructus in hodierno evangelio.

I. Fructus primus est bonum persecutionis, qua Deus utitur velut instrumento ad perducendos suos electos in finem, ad quem prædestinati sunt. Etenim in hodierno evangelio mediante Judæorum ira et odio in discipulos, congregavit eos ex fuga in domum unam, ut ibi eum resuscitatum cernerent, aliaque in mandatis ab ipso acciperent. Postea quando opus erat ut in varias nationes dividerentur ad prædicandum undique evangelium, iterum excitata persecutione in Stephanum et Christianos alios, fecit ut ob eam dispergerentur pene omnes (præter apostolos) per Judæam et Samariæ regiones, eaque occasione disseminarent evangelium, Act. VIII. Quod acute expressit ibi S.

Lucas Græca voce, quæ valet disseminati (quod noster interpres vertit, *dispersi*) sunt; *quasi seminantes frumenta ad panem supercælestem conficiendum: universum orbem peragrantes vivificæ doctrinæ virtutes efficaciasque disseminarunt*, inquit S. Athanasius, hom. de fermento.

II. Est bonum societatis; quod experti sunt discipuli congregati: didicit etiam damno suo Thomas, dum solus ipse Domini aspectu recreatus non fuit, quia a cæteris abfuit. Solent animalia, quæ rapinis non aluntur, nec ad eas armata sunt, fere gregatim degere, ut e plurium consortio vires sibi quærant: cujusmodi sunt palumbes, columbæ, grues, sturni, cornices, turdi, formicæ, apes, e piscibus thunni, limosæ, auris. Atqui hominem quoque natura armis destituit: e plurium ergo societate præsidium sibi quærere debet. Unde Seneca, lib. IV. de benef. cap. XVIII. ait: « Fac nos singulos, quid sumus? Præda animalium et victimæ, ac vilissimus et facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium datum est. Quæcumque vaga nascuntur et actura vitam segregem armata sunt; hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium terribilem cæteris fecit; nudum et infirmum societas munus. » Hæc Seneca, quibus consentiunt ea, quæ scribit Eccl. c. IV. *Melius est duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus quomodo calefiet? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei.* Exemplum unum a natura petamus. Dentices pisces tam societatis sunt amantes, ut non ferant sese a gregalibus suis separari: solent autem juxta ætatum discrimina degere; peradolescentes enim separatim a reliquis natant; ii quoque qui sunt natu grandiores inter se vivunt, atque hac mutua inter se societate se invicem etiam juvant, et contra piscatores tuentur; nam ubi hi cibum demiserint, congregati et in orbem consistentes inter se conspiciunt, et quasi signo dato admonent, ne propius ad cibum accedant, Accidit autem nonnunquam, ut solivagus quispiam ex eis hamum devoret, nempe qui non interfuit, cum omnibus ediceretur non esse demissum cibum attingendum, ac in suæ solitudinis præmium mortem accipiat. Ita scribit Antonius de Balinghem, in zoopædia. Hujusmodi solivagus nonne fuit Thomas, qui a cæterorum apostolorum cœtu alienus infidelitatis hamo captus et illaqueatus fuit?

III. Indicium resurrectionis nostræ, spiritualis; si nimirum eam comprobemus, quomodo Christus comprobavit suam, aspectu, tactu, auditu, flatu, et apud Lucam, gustu seu esu piscis et

favi. Noluerunt discipuli credere Christum resurrexisse, priusquam his argumentis illud demonstraret, nec ergo credere possum resurrexisse peccatores e sepulcro scelerum suorum, nisi id similibus ostendat modis. Quid igitur opus? Insufflet prius in aures sacerdotis per confessionem peccata sua, deinde accedat ad mensam Domini, et comedat ea qua decet reverentia et fide, fayum s. eucharistiæ, una cum memoria passionis Dominicæ, post hæc externa conversatione præbeat se virum alium, monstret manus bene operando, non refugiat palpari, cum ipsius errata corriguntur et taxantur: loquatur ea quæ sanæ mentis sunt et Christianum decent. Scribit Hegesippus, I. III. c. II. tentasse aliquando Simonem magum Romæ suscitare suis præstigiis adolescentem nobilem, ad convincendum S. Petrum; verum nihil aliud effecisse, quam ut videretur adolescens caput agitare, dolo clam adhibito. Videbatur ea res commovere populum; sed Petrus dolum advertens, jubet Simonem procul, a juvene discedere, aitque: *Si vivit juvenis loquatur; si vere resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur.* Verum nihil horum præstitit adolescens; remansit autem qui erat mortuus. Tum Petrus in nomine Domini Jesu resuscitavit adolescentem qui surrexit, ambulavit, locutus est, et comedit. Quid sibi vult hæc historia? Figura est multorum, qui tempore paschali videntur resurrexisse secundum animam, quia videlicet præ se ferunt aliquos pietatis motus et specimina, dum una cum aliis venerunt in templum cum rosariis, absolutionis et s. communionis participes facti sunt; itaque caput nonnihil agitarunt et vivos se simularunt: verum non probarunt. E lecto pristinorum peccatorum surgere, viam virtutis ambulare, loqui sana et honesta, Dei verbum appetere et cum gustu audire debent, si revera vivunt.

IV. Indicium veri et sinceri Christiani, cum nimirum cor operibus respondet. Hoc enim hic docet Dominus, quando discipulis suis ostendit manus et latus, seu in perfosso latere cor. Facile invenimus, qui opere externo Christianos se proferunt et amicos, atque etiam jactant: verum an in corde tales sint, magnum plerumque dubium. Vidit hoc Ecclesiasticus, qui c. XIII. ait: *Vestigium cordis boni et faciem bonam difficile invenies. Facies externum opus, cor intentionem denotat.* Unde Glossa ibid. *Quia multi simulati et ficti, ideo difficile invenitur, in quo cor et facies, id est, cogitatio et operatio atque doctrina in bono convenient.* Sapiens etiam fortem vult esse illam mulierem, quæ lanam et linum quæsit, et operata est consilio manuum suarum. Lana vestis externa linea vero interna est seu interula: illa opus

externum, hæc cordis intentionem significat. Debet itaque Christianus simul utramque vestem gerere, seu, ut sequentibus verbis explicat idem Sapiens, *operari consilio manuum suarum*, quia debet in corde sentire, quod opere commonstrat, adeoque ex consilio et directione cordis agere quod agit, quomodo navæ ex consilio et intentione navarchi dirigunt navem.

V. Gaudium verum et genuinum in solo Deo quærendum; quod indicatur in evangelio cum dicitur: *Gavisus sunt ergo discipuli viso Domino.* Quid sibi vult particula, *Ergo*: nisi quod in aliis rebus gaudium non invenerint discipuli, in solo Domino invenerint: quasi dicat evangelista: Quia nihil aliud nisi Christum magistrum suum discipuli desiderabant, gavisus sunt ergo viso illo. Hinc illa eorum exultatio dicentium ad Thomam *Vidimus Dominum*, q. d. quod unice desideravimus, tandem consecutus sumus. Et hoc est illud gaudium, quod prædixit illis Dominus: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*, Joann. XVI. Omne mundi gaudium rivulus et torrens est, cito exarescens: Christus autem veri gaudii fons est indeficiens. Ismaeli filio Abrahamæ ex Agar ancilla datus est uter aquæ, qui paulo post defecit, et ideo filium cum matre in extremas angustias redegit, Gen. XXI. At vero Isaaco Saræ filio datus est aquæ puteus indeficiens, cui nomen abundantia, Gen. XXVI. Prior aqua gaudium et consolationem mundanorum representat, posterior vero gaudium piorum; illud uter, hoc fons est; illud breviculum et modicum, hoc indeficiens et abundans est.

VI. SS. ceremoniarum approbatio et utilitas; quando audimus Christum adhibita insufflatione contulisse apostolis Spiritum sanctum et potestatem remittendi peccata; utrumque enim hoc donum apte representat flatus: Spiritum sanctum, quia ipse est quodammodo flatus et spiritus oris Christi, per spirationem a Patre et Filio productus. Potestatem vero absolutionis, quia sicut vento nubes, et flatu oris dissipatur pulvis; ita potestate illa dissipantur, et extinguuntur peccata, juxta id Isa. XLIV. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua.* Quod ergo intus in anima geritur, hoc extra denotant et rudibus exponunt ceremoniæ.

Porro has ceremonias ad cultum divinum facere ejusque, partem esse ostendit potest. Primo, ex ss. litteris, veteris imprimis testamenti, Exod. XVIII. ubi Jethro auctor est Moysi, ut civilia judicia aliis committat, ipse autem populum doceat ceremonias et ritum colendi Deum. Novi vero passim, siquidem Christum scimus non solum in hodierno evangelio ritu insufflationis, sed et aliis crebro ceremoniis

usum esse. Quisquis ergo ceremonias nostras ridet, Christum prius deridere debet. Secundo, a communi consensu populorum omnium. *Nulla religio*, inquit S. Augustinus, lib. XIX. contra Faustum, ap. XI. *ne falsa quidem sine ceremoniis consistere potuit.* Quod idem fatetur Calvinus lib. IV. instit. c. XIV. his verbis: « Hanc necessitatem certo aliquo signorum externorum consortio, homines colligandi cum Deus prævideret, ea postea Satan ad supersticiosos cultus transferendo depravavit. Hinc illæ gentilitiæ imitationes in sua sæcra et cæteri degeneres ritus, qui tametsi errores erant, et superstitionis pleni, indicio tamen ipsi quoque erant, non posse in professione religionis homines, externis hujusmodi signis carere. » Tertio, quia sunt professio quædam practica veræ fidei et religionis; per eas enim non minus discernimur ab alienæ sectæ cultoribus, quam per vocem, v. g. si coram Turcis pingam in fronte crucem, non minus ratiocinabuntur me Christianum esse, quam si disertis verbis talem me prædicavero. Hinc apostoli ut Ecclesiam a Judaismo discreparent ne cum Judæis judaizaret, sabbatum muterunt in diem Dominicam, novæ ceremoniæ. Quarto, quia studium pietatis erga Deum excitant, augent et incendunt, teste S. Augustino, ep. ad Januar. c. VII. ubi ait: « Si animus feratur ad similitudines corporales et inde ad spiritualia, quæ similitudinibus illis figurantur, ipso quoque transitu vegetatur, et tamquam in facula ignis, agitatus accenditur. » Teste insuper ratione, nam statim atque expendit secum animus quot et quanta circa Dei cultum fiant, accensas lampades, amictus varios et pretiosos, ordinem ubique eximium, genuflexiones, inclinationes, varietatem ministrantium, thurificationes, processiones, aspersiones, benedictiones, id genus alia, non potest non concludere eximium esse Deum, cujus in cultu tot tantæque interveniunt, eximia item sacrificia, et sacramenta quæ cum his peraguntur. Pergit mox ulterius, et multo majorem concipere incipit rerum sacrarum venerationem, quin etiam solum novum timendi, et honore efficiendi divinam illam majestatem. Teste denique experientia. Hinc enim in summis festivitatibus longe major apparet populi pietas, quam aliis temporibus, quia nimirum solito major est sacrarum apparatus, ceremoniæque plures et augustiores. Pendet enim mens nostra a rebus sensibilibus, quarum interventu nisi excitetur ad prosecutionem alicujus boni vel fugam alicujus mali, valde tenuiter movebitur, uti palam est. Plerique enim qui inferni habent fidem, longe minus permoventur illius cogitatione, quam suspensio, carcere verberibus, tortura, multa pecuniaria.

Unde hoc? Nisi quia hæc sub sensum cadunt, ideoque voluntatem vehementer movent, illa vero inferorum tormenta non item. Quinto, quia pariunt, et in memoria conservant notitiam Dei ac rerum divinarum; dant enim occasionem interrogandi et discendi cur hoc vel illud fiat, v. g. cur in administratione sacramentorum passim adhibeatur signum crucis. Respondebitur enim id fieri ut omnes intelligant vim omnem sacramentorum pendere a morte et passione Christi, ejus symbolum crux est. Sic de Judæorum paschate dicitur Exod. XII. *Cum dixerint filii vestri, quæ est ista religio? dicetis eis: Victimam transitus Domini est quando transivit super domos filiorum Israel.* Sexto, quia rem divinam ornant atque illustrent, quo modo etiam homines ceremoniis honorantur, uti purpura ejusque osculo imp. Sicut enim sponsus non contentus fuit facere sponsæ murenulas aureas, sed ad majorem ornatum voluit eas facere vermiculatas argento, Cant. 1. et sicut Christus non contentus fuit cœnaculo ad institutionem eucharistiæ, sed elegit cœnaculum grande stratum, ad honorem sacramenti; ita par est uti cultum divinum quo possumus modo exornemus, juxta id Eccl. XXIV. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

VII. SS. traditionum approbatio et necessitas. Etenim S. Joannes multis annis post reliquos evangelistas scripsit evangelium suum, ut testatur D. Hieronymus de script. eccl. et tamen fatetur nequaquam omnia quæ Christus egit ac docuit scripta esse vel scribi posse. Inter illa vero sunt traditiones apostolicæ, quæ necessario admittendæ, nec minus quam scriptum Dei verbum credendæ sunt. Primo, quia sine traditionibus illis non potest constare, an et qui libri sint canonici et verbum Dei, an salvi et incorrupti, et quis eorum legitimus sensus sit. Secundo, quia multa credunt nobiscum etiam hæretici quæ in Scripturis expressa non sunt, sed sola traditione habentur, v. g. symbolum fidei quod sit vere canonicum et apostolicum; Spiritum sanctum a Filio etiam procedere, a solo Patre, eundem procedere, non gigni; infantes baptizandos esse; baptismi formam pronuntiandam; Deiparam mansisse perpetuo virginem, etc. Tertio, quia testamentum novum nonnisi post Domini ascensionem annis aliquot scribitur cœpit, nec statim omnibus innotescere potuit; interim igitur traditionibus tantum standum ac credendum fuit. Jure autem et sapientissimo consilio voluit Deus Ecclesiam Scripturis simul et traditionibus docere: primo, quia hunc etiam modum ab initio mundi cœpit et probavit; primo, per solas traditiones docuit homines, postea legem scriptam addidit; secundo, quia conjunctio utriusque modi perfectior

est magisque accommodate docet: tertio, pluribus prodest modus iste docendi ex utroque compositus: Scripturæ faciunt pro doctis, traditiones pro indoctis: quarto, facit magis ad fidei et humilitatis exercitationem. Denique, usitator est in quavis republica bene instituta, in qua non solum sunt leges scriptæ, sed etiam et non scriptæ seu consuetudines.

VIII. Virtutum exemplar in Christo Domino. Primo, videte ejus charitatem, qui in gratiam unius oviculæ perditæ, rursus apparet discipulis, eademque illa facit quæ prius propter reliquos fecerat discipulos; nam et Spiritum sanctum ac potestatem remittendi peccata ei, postquam credidit, a Christo etiam ipsomet collatam esse verisimilius est, quam prius absentem datam fuisse cum aliis discipulis. Non ergo negligamus, vel unicum errantem a via salutis, quin reducere eum curemus. Non dicamus cum Caino: *Numquid custos fratris mei sum ego?* Genes. IV. nec cum principibus sacerdotum: *Quid ad nos? Tu videris,* (Juda) Matth. XXVII. Secundo, humilitatem, qua cum suis tam humaniter conversatur, uti prius tangi vult a suis, et clavorum foramina perlustrari. Tertio, comitatem et affabilitatem, qua Thomam allocutus est, et invitavit ad se tangendum, volens eum convincere de concepta incredulitate et manu ducere ad fidem dicendo: *Noli esse incredulus,* (quia hoc non sum promeritus) *sed fidelis;* qualis antea mihi semper fuisti. Et forsitan ipsemet Dominus arripuit manum Thomæ et imposuit in plagas suas. Quarto, sapientiam, dum non soli Thomæ seorsim, sed coram discipulis apparuit, ut inde partim Thomas erubesceret convictus, partim ipsi discipuli magis firmarentur in fide, et accenderentur ad amorem tam benigni magistri sui.

Hi sunt, auditores, fructus, quos volui decerpere ex arbore vitæ Christo, quos et reperire potui in hodierno evangelio, quamquam non nisi obvios tantum. Vestrum est decerptos sedulo asservare ad medelam animarum vestrarum, ut cum immortalis Christo immortalitatem induatis, tum animæ, ne in posterum peccetis, tum corporis ut in die resurrectionis ad gloriam resurgatis.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur prima statim die apparet Christus. — II. Cur intravit januis clausis. — III. Cur apparuit sero. — IV. Cur stetit solum legitur post resurrectionem. — V. Cur in medio stetit. — VI. Quare pacem suis precatus. — VII. Cur ostendit manus et latus. — VIII. Cur Spiritum sanctum cum insufflatione dedit.

THEMA.

Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Joan. XX.

Contigisse videtur, auditores, Christi Domini discipulis quod I. IV. Reg. cap. VI. legimus accidisse discipulis Elisæi, filiis prophetarum, qui cum imperante magistro ligno cæderent ad ædificandum sibi spatiosius habitaculum (nam prius anguste habitabant) cecidit uni ferrum securis de manubrio in aquam. De quo cum is valde contristaretur clamans: *Heu, heu, heu, domine mi!* fecit Elisæus ut ferrum e solo gurgitis iterum enataret ad manubrium et securim redintegraret. Quæ redintegratio tantum absque dubio gaudium attulit discipulo, quantum prius dolorem attulerat ejusdem jactura. Hunc in modum Christi discipuli dum una cum magistro suo instant prædicationi et correctioni Judæorum, arborum infructuosarum; tum ecce insperato perdunt securim suam, Christum, dum eo a Judæis occiso, ferrum a manubrio, hoc est, animam Christi separatur a corpore per mortem: descendente ad inferos anima, corpore vero in sepulcro reposito. Quantum hæc magistri jactura dolorem attulerit discipulis, prædixit illis Dominus, cum dixit fore dolorem eorum, qualis est mulieris parientis. Verum hodierno in evangelio cernimus Christi animam iterum ad corpus suum ex inferis enatasse, Christumque redivivum in medio discipulorum stetitisse, eosque de novo securi illa armatos misisse ad exsecindendos non Judæos tantum verum et gentiles, idololatriam et peccata omnia; ad prædicandum etiam in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum. Quid mirum ergo, auditores, si viso resuscitato Domino, adeoque recepta securi sua gavisi sunt discipuli? Gaudeamus ergo et nos cum discipulis Christi: deinde securim applicemus ad hodiernum evangelium, indeque nobis ligna cædamus ad fovendum spiritum.

I. Cur prima statim resurrectionis die discipulis apparet Christus, cum tamen in Galilæam eos ad se videndum ire præceperit? Resp. primo, hoc fecisse, ut consolaretur discipulos, quos in magna exerceri tristitia videbat. Tametsi enim eis Galilæam designarat, ubi eum in patria, et extra metum Judæorum liberius contemplari possent; velut tamen moræ impatiens promissionem antevertit, ut amorem erga eos suum demonstraret. Quemadmodum enim mater flentis parvulo suo porrigit ubera, quia ejus lacrymas ferre nequit; sic discipulis suis moerentibus ipso resurrectionis suæ die apparere voluit; quemadmodum prædicatur, Isa. LXVI. ubi cum propheta præmisisset insultationem Judæorum factam Christi discipulis: *Glorificetur Dominus*

(resurgendo scilicet ex mortuis, ut ibi exponit Corn. a Lap.) et videbimus in lætitia vestra; paulo post respondet in persona Christi: *Quomodo sicut mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis et gaudebit cor vestrum.* Eo allusit Dominus, cum prædicens resurrectionem suam discipulis dixit: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum,* Joan. XVI. Addit vero Isaias notanter: *Et in Jerusalem consolabimini,* q. d. non expectabo donec veniatis in Galilæam: apparebo vobis statim ipso die in Jerusalem, ad confusionem Judæorum.

Secundo, ut eos cito eximeret ex infidelitate, in qua si diutius perstitissent, non solum in desolationem magnam, verum etiam in desperationem forte incidissent. Periculisolum et noxium valde est, hæerere in statu peccati; non solum enim perditur tempus, quo ingentia in cælo lucra poterant parari, sed etiam solutio debitorum contractorum semper fit difficilior; quomodo pecuniæ a fœneratore susceptæ, nisi mature restituantur, quotidie debitum augent. Præterea peccata quæ per poenitentiam non mox delentur, suo pondere trahunt ad alia; et quanto diutius immoraris in culpa, tanto diutius morari cogeris in poena, si ea sit temporalis, vel si sit æterna, tanto acrius torqueberis.

II. Cur ad eos intrare januis clausis voluit? Resp. primo, ad litteram secundum Euthymium, ne si ostium pulsasset, vel subito apparuisset, turbarentur discipuli, qui intus erant ob Judæorum metum clausi; timere enim poterant ne Judæi vi irrumperent. *Quam bonus igitur Dominus his qui recto sunt corde?*

Secundo, ut ostenderet statum corporis sui gloriosum longaque alium a priore; siquidem per subtilitatis dotem penetrare omnia queat obstacula. Tertio, secundum D. Chrysologum, serm. LXXXIV. ut se totius creaturæ demonstraret auctorem, et se tanquam Dominum absolutum posse omnia pro libitu facere, posse animam ingredi, et mutare nullo impediante, etc. Quarto, ut doceret se ad eos ingredi per internam visitationem et spiritualem gratiam, qui claudunt super se sensus suos, adeoque in recessu animæ sedent, a mundi strepitu remoti, et Deo ac salutis propriæ intenti. Unde Cant. IV. commendatur inde sponsa, quod sit instar horti undique clausi et septi, non instar agri vel prati patuli et omnibus pervii. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* Homines sæculo immersi velut agri aut montes sunt, undique aperti et bestiis etiam pervii, de quibus dicitur Job. XL. *Omnes bestię agri ludent ibi.* Omnes inquam dæmones. Ita enim in illum locum ait Gregorius: *Annon spiritibus immundis ludere et mentes hominum modo ficta promissione deci-*

pere, modo vacuis terroribus irridere, modo eis transitoria gaudia quasi mansura imprimere, modo mansuras penas quasi transitorias levigare? Hi sunt lusus dæmonum in horto non concluso.

III. Cur apparuit illis, cum jam sero esset? Resp. primo, ad litteram, quia credibile est, discipulos ex fugâ dissipatos, sero congregatos esse. Secundo, ut doceremur nunquam ne in extremo quidem mortis articulo de ipsius ope et misericordia desperare, sed constanter confidere juxta id Habac. II. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet et non tardabit.* Solet enim Deus adesse maxime rebus desperatis, ut hic discipulis, cum se jam in cœnaculo clausissent, quasi eo die Christum visuri non essent amplius. Theophilus imperator hæreticus et iconomachus duodecim annis vexarat Ecclesiam et catholicos multos occiderat, propter quod ad extremum punitus est tam deformi oris hiatu, ut per eum conspici viscera ejus possent; flagellatus quoque a duobus angelis, vociferabatur id sibi evenire ob imagines contractas. Interim tamen dum pro eo Theodora conjux sancta et catholica preces fundit, agnoscit miser reatum suum et imaginem s. cujusdam astantis collo dependentem arripit et osculatur; moxque tam hiatus oris, quam flagellatio angelorum cessavit, obiitque imperator certa spe salutis, quæ postea novo ostento certior facta est. Refert Gennadius, apud Baronium, anno 842. Cæterum si nos expectemus Dominum, ad poenitentiam scilicet parati, non fraudabimur spe adventus ejus, quia veniens veniet. Secus vero contingit sæpe, si ipse nos expectare debet, imparatos videlicet et rebelles. Tertio, ut dilectorum suorum patientiam exerceret, et desiderium videndi sui acueret, sicque ad gratiam conferendam melius eos disponeret.

IV. Cur stetit tantum Christus post resurrectionem, non sedisse vel jacuisse in terra legitur? Resp. primo, id factum ad indicandum statum beatorum in cælo, qui erit perfectus, adeoque situm standi, non sedendi habebit. Quod enim Christus et beati dicuntur etiam sedere in cælo non indicat aliud, nisi vel judiciariam potestatem, vel quietem summam. Propterea Ecclesia tempore paschali, stando, non flectendo orat, ut indicet statum resurrectionis Christi et nostræ, ad quem per ipsum erecti sumus. Secundo, ad documentum nostrum, ut postquam e peccatorum tumultu surreximus, adeoque versus cælum caput nostrum ereximus, non jam ad terram amplius inclinemur, et in sordes consumdeamus vel procumbamus, sed quæ sursum sunt sapiamus et quæramus. Confident, quæ peccata venialia admittunt; sordes enim aliquas contrahunt, et aliquantulum a Deo elongantur,